Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Joh. Jonstoni Thaumatographia Naturalis

Jonston, Jan

Amstelodami, 1661

Caput XIII

urn:nbn:de:bsz:31-97032

Visual Library

alter ſervat. Ciconiis trans mare volantibus ducem ſe præbet. Tam induſtria eſt, ut Merthes Ægyptiorum Rex unam habuerit, quæ literas quocunque juberet, deferebat. *Porphyr. de abſtin. ab animal.* Occiſa & donec puteat relicta, elicit mures, poſita in loco ubi ſunt, ut occidi poſſint. *Geſner. Chryſaetho* lingua humanæ ſimilis eſt, verſus radicem duobus utrinque ceu hamatis appendicibus corneis armata. Longitudo ejus interdum à roſtro ad ungues quatuor ſpithamarum & mediæ, latitudo expanſis alis octo. Vnum tantum ovum ponit, ſi duo, putre unum eſt.

CAPUT XIII.
DE COLUMBA.

COlumbæ cum duo edunt ova, mas uno editur, altero fœmina, ſed quia major in illo virtus, prior exire dicitur. *Paul. à Caſtro.* Excluſis pullis ſalſuginoſam terram in os, præmanſam, ingerunt, tum ut præparent ad recipiendum poſtmodum cibum, tum ut fœcunditatem implantent, tum denique appetitum excitent. *Athen. 9. hiſt. c. 14.* Dociles eſſe multa probant. Ex aure Mahumetis una capiebat cibum; Leydenſis obſidionis tempore literas portabant nonnullæ. *Lipſius.* Idem in nupera Buſcoducana factum. Vt in Columbariis retineantur, aliaſque alliciant, varia adhibent varii. Quidam enim ſanguinem humanum cum piſis integris, in vaſe figlino, per horæ circumagunt quadrantem, tum illo columbas illinunt, hæc devoranda objiciunt. *Geſner.* Quidam cranium hominis ſenis in columbario ſuſpendunt. *Albertus.* Nonnulli lori particulam quo homo ſtrangulatus, feneſtris appendunt. *Pallad. l. 3. c. 44. Plin l. 11. c. 37.* hominum dentibus quoddam virus ineſſe, quod columbarum fætus implumes necat, ſcribit. Ex arcanis Ægyptiorum accepimus, columbarum victitantes carnibus, peſtilentia non capi. Hinc ſolæ tempore peſtilentiæ illorum Regum obſonium; *Cardanus* eaſdem cum jure præ-

BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg